

E P I S T O L A

meo judicio melius, per meretricem, Apoc. 17. intelligi Romam: ut exponit Tertullianus, libr. cont. Judæos, & libr. 3. contr. Marcionem; & Hieronymus, Epist. 17. ad Marcellam, & quæst. 11. ad Algasiam. Hæc Bellarminus.

Franciscus Ribera, itidem Jesuita, in Commentario suo super Apoc. p. 328. in hunc modum scribit: vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum: Hoc in nullam urbem & quæ convenit, ac in ROMAM, in qua innumerabiles Martyres occisi sunt: Quamvis non ebria tantum dicitur, propter sanguinem in eâ fusum, sed etiam propter sanguinem, qui Ejus jussu & potestate in aliis urbibus effusus est: Nam hunc etiam ipsa fudit; Nec de sanguine ad Johannis usq; tempora effuso tantum loquitur, verum & de eo, qui POSTEA erat effundendus: Hæc Ribera: Similia apud Alphonsum Salmeranem Ludovicum ab Alcasar, & alios leguntur: Etsi verò cerussam suam illinunt, & Papalem Romanam eximi contendunt, nugantes, solam vel Paganam, vel Antichristianam denotari: luculentissimè tamen, & solidissimè, tūm in hoc sexto, tūm in prioribus Tomis Φλυαρίαι ipsorum protritæ, & confutatæ sunt. Nec sexcenta millia Jesuitarum totidem librorum plaustris obtinebunt, P A P A M R Q M A N U M pro Antichristo, vel ἀντικεμένῳ illo, non habendum esse. Novimus sanè, Jesuitas hodiè politico quodam Schema te, & palpo specioso conari persuadere, quoties Papa Romanus proclamat Antichristus, toties crimen læsa Majestatis tam Pontificalis, quam Cæsareæ committi, & incurri: sed falsissimis sententia hæc nititur principiis, & fundamentis: Primò enim Pontifici Romano nullam, plane Majestatem de jure divino competere docemus:

Cùm